



**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Lvdovicvs Rex C. 25. Augusti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

25. AVG. *Vitx Sanctorum.* 467  
dabant. Imperator quoque ludos post  
ludos sperans milites mittit, qui GENESIVM (Christianum scilicet) ad tri-  
bunal raperent. Sed hic secutus ostendit reipsa Diocletiano, etiam post posita-  
m personam, Christianum se esse. Tum enim verè in furorem abire ille,  
palam fassus sanguinem se gestire bibere GENESII. Et dedit hic sanguinem  
ex equuleo pendens, ferreisque uncis  
lacer & tædis instulatus. Iamque ulti-  
mus actus è fabulâ restabat. Hunc mo-  
re jam apud Martyres recepto mors  
gladio absolvit. Et nimirum luxit tunc  
Româ delicias amissas. at Superi tunc  
primum Mimo etiam ipsi adridebant.  
*Ex Sur. & Baron.*

S. LUDOVICVS REX C.

25. Augusti.

**V**Itam omnem LUDOVICI noveris,  
si leges noveris, quas sibi primò, tū  
deinde filio dixit. Harum capita habe.  
I. Deum p̄x omnibus amato. II. pec-  
catum mortiferū ceu anguem fugito.  
III. adversis ne deprimitor. IV. néve  
prosperis extollitor. V. animæ plagas  
spirituali medico crebrò nudato, & me-  
dicinam quamvis asperam nullam re-  
spuento. VI. In precandi studio assiduus  
esto. VII. Animum in miseros pium  
& liberalem gerito. VIII. Cùm animo  
male est, in consiliū quàm mox virum  
bo-

bonum adhibeto. I X. Boni tibi nunquam non adsunto , mali semper exsunto. X. Bonum omne amplectitor, malum omne detestator. X I. De Deo loquentibus aures lubenter dato. X II. Obtrectationibus verò obserato. X III. Deum Divosque impunè , re Rege, nulli laceſſunto. X IV. Gratius Deo in primis , sed & hominibus esse memento. X V. Pro tribunali æquus esto , & pauperum querimonias ne negligito. X VI. In causâ tuâ, dum res non liquet, contra te stato. XVII. Aliena ocyus restituito. Clero & Religiosis pro ſcuto esto. XVIII. Parentibus amorem deferto. XIX. Bella, si contra principes Christianos gerere necessitas fuerit, ſacris parcito. X X. lites pro virili dirimito. X XI. In Magistratus ſedulo inquirito. XXII. Pont. Max. ut par eſt, reveretor. XXIII. impensa modestiam ne excedunto. XXIV. pro me , ubi obiero, ſacra fieri curato. Ex Surio.

SS. IRENÆVS ET ABUNDIUS MM.

26. Augusti.

**Q**uid atro te vestis homo, ſi nobiles animas etiam in coeno latentes Numen amat? quid opobalsama ſpiras, quando etiam inter latrinas ( parce, ſi Superis parcis , & mihi ) ſuave tamen olet virtus ? Age & qui nares ſordidis rebus, ne aures nominibus nega: docebunt